



# Disputatio medica inauguralis de cancro mammarum

<https://hdl.handle.net/1874/342358>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE  
**CANCRO MAMMARUM,**  
QUAM,  
DIVINO FAVENTE NUMINE,  
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,  
**D. M. JOANNIS LUYTS,**

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè consequendis,

Publico eruditorum examini subjicit  
**CHRISTIANUS EHRENFRIED WEND, MISENA MISNICUS.**  
Ad diem 14. Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc LXXXIX.



V. CL.

CHRISTIANO EHRENFRIDO WEND

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

**C**um tu illustrioribus communis Patriae nostrae lycaeis dudum probasti tuum ingenium ac industriam, quam cum in aliis praeclaris doctrinarum studiis, tum praecipue in medendi arte imbibenda posuisti magno cum profectu, gaudeo, te primos hujus tui laboris fructus hic apud nos ad Rheni amoenissimam ripam voluisse capere. Et tibi de hac animi inductione, & nobis gratulor. Tibi, cum, postquam confecisti Academicum spatiū, curru quasi circa metam acto palmam fers in nobilissimo hoc orbis terrarum theatro, in Urbe utriusque Germaniae antiquissima, & ex qua primum cum salutaris Christianae doctrinae, tum illa-

illarum disciplinarum, quibus animorum feritas emollitur  
lux affulsit omni septentrionali plagae: Nobis, cum non  
eruditionis tuae rudimenta, ut aliis, sed ipsam ~~anum~~ &  
maturitatem proprius spectare licuit, & spectatam ornare  
illa insula, quam, si tu tua bona nosti, non regio dia-  
demate permutares. Eam enim nulla vis & tempestas,  
nulla infestae fortunae, temporumve & hominum iniqui-  
tas tibi potest eripere; cum hoc obnoxium semper sit, &  
mille casibus & injuriis subiectum, ut splendor ejus,  
qui Oriente sole cum solis fulgore certabat, sub illius oc-  
casum saepius obsoleverit. Insulae tuae decus indies magis  
magisque suam diffundet lucem, si tibi ipse in posterum,  
ut adhuc fecisti, deesse nolueris: sique quae magna cura  
studioque collegisti, & tanquam in cella penuria in ani-  
mo condidisti, cœperis promovere sapienter, & tuorum ci-  
vium bono in usu habere. Quod uti tibi patriaeque tuae  
feliciter cedat Deum precor; te vero, ut hanc epistolam  
tibi tesseram hospitalitiam, & pignus perpetui mei in te  
studii, qui elegantiam suavitatemque ingenii tui magni  
facio, esse velis. Vale salvusque ad tuos redi. Trajecti  
Batavorum postrid. Nonas Martias anni Juliani  
cl<sup>o</sup> Ixc Ixc.

Cetera sunt ex parte orationis et ex parte instrumentorum que  
nuntiantur.



Ruditionis meæ , si qua in me est ; specimen exhibitus sum differendo de Cancro Mammarum , morbo illo periculosissimo , qui toties impunè sœvit , nisi cum vitâ cedendi nescius . Quia autem materia ista , multorum jam ante me ingenia & calamitos exercuit , in id juxta incumbam , ut ipsa arctissimis , quantum fieri potest , terminis circumscribatur , ne cramben bis coctam proponere videar , doctissimoque Lectori nauseam moveam . Cavebo tamen sedulo , ut ne , dum brevis esse studio , obscurus fiam , atque ita in scyllam incidam , Charybdim vitaturus .

§. 2. Cancer nomen suum est sortitus à cancro aquatili , cum quo aliqua ei intercedit similitudo . Sicut enim hoc animal multis pedibus hinc inde expansis est instructum , & colorem refert lividum ac cinereum , chelisque suis arrepta firmiter stringit ; Ita tumor cancerosus venis & arteriis cingitur , quæ multos pedes cancerorum perbellè mentiuntur , & appetet colore lividus , ac subniger , partemque , quam occupavit , firmo amplexu tuetur .

§. 3. Hisce de origine appellationis præmissis , duæ definitiones sunt formandæ , quia duplex datur cancer mammarum , alias nempe non exulceratus , seu , ut alii vocant , occultus , & alias exulceratus , seu manifestus . Istæ definitiones loco fundamenti sint , cui totam dissertationem superstruam .

§. 4. Prior definitur , quod sit tumor p. n. mammarum rotundus , durus , inæqualis , livens & nigricans , vasis tumidis & lividis stipatus , dolorificus calidusque , ab humore aliquo ibi stagnante , stagnandoque insignem acorem concipiente ortus .

§. 5. Cancer autem exulceratus est ulcus mammarum cum tumore ,

tumore , duritie , dolore , calore , labiis tumidis , duris , in-  
versis , vasis circumcirca nigricantibus , saniem eructans te-  
nuem , fœtidam atque venenosam , ab acido aliquo corrosivo  
ibi existente originem trahens .

§. 6. Quemadmodum verò juxta illud Tullii , caput bono-  
rum consiliorum est nosse rem publicam : sic initium salubri-  
um consiliorum in quovis morbo est accurata partis affectæ  
cognitio . Hanc in præsenti morbo , uti statim in oculos in-  
currit , mammæ constituunt , quarum status naturalis hic est :  
Composuit illas prudentissima natura ex innumeris glandulis ,  
in quibus è sanguine per arterias allato lactis secretio contin-  
git , quod per porositas varias , quæ tubuli lactiferi dicun-  
tur , ad papillas penetrat , & hinc ab infante exsugitur , vel  
etiam interdum sponte effluit . Sanguis residuus à venis mam-  
marum excipitur , & ad venas axillares desertur . Lac autem ,  
quod non foras egreditur , illud per vasa lymphatica ad chyli  
receptaculum abit . Totius hujus actionis promovendæ gra-  
tiâ spiritus per nervos influunt , qui per totam mammarum  
substantiam sunt distributi , unde etiam sensus earum est acu-  
tissimus . Ne autem corpora hæc glandulosa quibusvis inju-  
riis externis adeò essent exposita , largâ pinguedine sunt cir-  
cumdata . Status contra mamillarum præternaturalis , qualis  
est in cancro , longè à naturali est diversus . Deprehendimus  
enim non solum structuram admodum immutatam , sed etiam  
totam actionem illarum lœsam esse , uti in sequentibus clarius  
patebit .

§. 7. Parte affectâ cognitâ , notitiam quoque causarum tam  
proximarum quam remotarum necessitas ore pleno flagitat .  
Causa igitur proxima Cancri non ulcerati est humor aliquis  
acidus acris , in glandulis mammarum stagnans , à veteribus me-  
dicis succus atrabilarius vocatus . Veritatem causæ hujus demon-  
strat præstantissimus Sylvius prax . med . Append . tract . 3 . § . 55 .  
ita dicens : *Ab acido acri cancrum generari , non dubitamus amplius , postquam novimus non tantum ipsi dolores lancinantes esse  
comires , verum quibusvis acidum concentrantibus ac contempe-  
rantibus leniri eundem . Hoc vitium plerumque in lacte*

residere solet, quo nullus ferè humor naturâ suâ aptior est ad abeundum in coagulum, acoremque contrahendum. Paucissimis enim particulis volatilibus atque spirituosis lac est donatum; sed multis fixis & terrestribus. Hinc nullum unquam chymicum ex laete, quodcunque fuerit, spiritum aliquem destillare potuisse notum est.

§. 8. Quando autem acidum istud lactis acrius evadit, tunc naturam induit corrosivam, quemadmodum videmus omnia acida fortiora chymicorum, ut sunt, aqua fortis & aqua regia, maximè esse corrosiva. Et hinc causam proximam cancri exulcerati deducendam esse autumo.

§. 9. Ex causis remotis omnia ea ad utriusque cancri generationem faciunt, quæ quocunque modo stagnationem humorum in mammis excitare, & acidum morbosum producere atque augere possunt. In specie multum hoc confert arcta mammarum compressio, quæ in iis facilè motum ordinarium humorum potest intercipere, ipsosque ita ad corruptelam disponere, ut vitium capiunt, ni moveantur aquæ. Nocent quoque eodem modo vulnera mamillis inflicta, item morsus, puncturæ & aliæ res violentæ.

§. 10. In censu causarum remotarum præterea etiam habenda sunt res non naturales dictæ, inter quas primas tenet aér, qui secundum Hippocr. lib. de flatibus, maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt, & autor & dominus. Quoniam enim respirationis usus nobis est summè necessarius, accedit, ut mediante aëre multæ particulæ heterogeneæ in corpus nostrum ingruant, quæ occasionem & materiam ad omnis generis mala subministrant. Aér frigidus hic præprimis est noxius, à quo cum videamus grangrænam posse fieri, nil obstat, quo minus etiam ab eo cancri producantur, qui à grangræna non multum differunt.

§. 11. Et quis ignorat quantum cibus & potus ad hunc affectum generandum adjiciant? Vita quidem & nutritio pari passu ambulant, ἡδονὴ τε ζῆν αὐτὸν τροφὴς, uti Aristoteles i. Politic. ait. Quando autem debita & moderata nutritio negligitur, vita potius pessundatur, quam conservatur. Insidias struunt

struunt cibi nimis acidi , salsi , sumo indurati , nec non ni-  
mis aromatici , qui præ cæteris in exulceratione procurandâ  
funt occupati , quæ omni modo declinanda. Nec sine culpa  
sunt potulenta acida , aromatica , fermentescentia & frigida.

§. 12. Somnus & vigiliæ , motus & quies aliquid etiam mon-  
stri hujus a'unt. Si enim ex certis eorum finibus aberratur ,  
ultrò citroque nequit rectum consistere. Cum somnus ni-  
mum protrahitur , oriuntur humores crassi , spiritus turbidi.  
Si vigiliæ sunt immodicæ , spiritus defatigantur ac dissipan-  
tur , quo modo cum motu & quiete etiam comparatum est.

§. 13. Maxima quoque mala hinc profiscuntur , cum ea ,  
quæ naturaliter excludi debent , in corpore retinentur. Sic  
lactantes noxam facile subire possunt , si lac earum non justo  
tempore secesserit. Mensium suppressionem suam symbolam  
addere exemplum istud apud Scenckium tib. 2. obs. med. de mam-  
testatur , ubi statim temporis intervallo ex sinistrâ alicuius scemi-  
narâ mamma sanguis guttatum effluxit , sed fluxu hoc à medi-  
co imperito per medicamenta adstringentia inhibito , cancer  
inde est pronatus.

§. 14. Nec animi pathemata planè sunt excusanda , quippe  
quæ experientiâ fidissimâ omnium rerum magistrâ confirmante , uti in omnium affectuum , ita etiam in hujus morbi ge-  
neratione strenue suam operam simul collocant , quando vide-  
licet modum excedunt. Præprimis ira & tristitia h̄c sunt effi-  
caces affectus , qui spiritus maximoperè debilitant , quibus  
deficientibus actio mamillarum non potest rectè peragi.

§. 15. Ex rebus præternaturalibus huc spectant denique  
omnes morbi , qui acido nimio originem suam relatam refe-  
runt. Instar omnium Scorbutus est fœcunda mater istius fo-  
bolis , dum salia sua acria lacti admiscet , quibus ei aptitudi-  
nem conciliat , ut eò facilius stagnet , corruptatur , &  
aceescat.

§. 16. Causis enarratis signa sunt enucleanda , ex quibus  
morbum , tanquam ex ungue leonem , cognoscere possumus.  
Non secus autem ac herba è terrâ primùm prodiens non nisi  
à perito olitore noscitur ; sic cancer in suo ortu cognitu est

diffi-

difficilis ; & non nisi ab experto & sagaci medico aut chirurgo discernitur. Habet enim in principio mitissima symptoma , & vix pisum aut fabam magnitudine æquat. Suspicionem tamen haurire possumus de ejus præsentia nunquam ferme fallacem ex tumore isto exiguo cum dolore statim atque duritate mamillas occupante , & ex constitutione corporis vitiosis & acribus humoribus referti, ut & ex causis externis antecedentibus , quas cancrum interdum produxisse novimus.

§. 17. Quando verò incrementum sumvit istud malum, tunc evidentibus & gravibus signis in conspectum prodit. Tumor ejus tactui valde renititur, quoniam materia vitiosa glandularum substantiæ arctissimè est impacta , à cuius colore plumbeo etiam participat. Est rotundus & inæqualis , à figura & multitudine glandularum tumidarum. Adebat dolor, qui quamvis interdum secundum Avicennam & Celsum non adeò grassetur , quod fortasse in cancro incipiente contingit, nunquam tamen plane abest. Particulæ enim acres continuè in fibrillas nervosas impingunt , & per eorum poros viam sibi quærunt; Quæcum permeare liberè nequeant, ipsorum unitatem scindendo pungendo & lacerando solvunt. Nec calor deficit, qui à stagnante sanguine in parte læsa , & circa eandem resultat. Tandem cancrum vasa turgida & nigricantia cingunt, quibus veluti radicibus altissimè est infixus. Minera enim morbi sese etiam sanguini in iis existenti admiscet, motumque ejus ordinarium impedit , coagulum ei communicando, unde quoque colorem alium acquirit.

§. 18. Signa quibus cancer iste à Scirrho , cum quo aliquo modo convenit , distinguitur , sunt sequentia : Cancer cum dolore conjungitur ; Scirrus verò est doloris expers. Cancer ex propriâ causâ plerumque progreditur ; Scirrus autem ut plurimum ex aliis tumoribus decit originem : sub cancro vasa nigricante humore plena undique prominent ; sed talia non videmus in Scirrho. Cancer demum in magnam interdum molem citò augetur ; verùm Scirrus tardior semper est in crescendo.

§. 19. Cognitio Cancri exulcerati est facillima , sicuti contra

contra ejus curatio est difficillima. Ulcus enim est squalore & scatore nulli alii secundum. Labia ejus sunt inversa atque erosa, ex quibus materia provenit putrida & venenosa, quæ omnes partes carnosas, quas attingit, inficit, & simili modo corredit. Sanies hæc profluens est tenuis, manet tamen tumor durus, quia acidum occultum non quoad totum, sed quoad partem saltem est resolutum. Dolor propter factas erosiones est crudelissimus. Vasa retinent eandem faciem quam in carcinomate non ulcerato habuerunt, quia nondum ejus causa est remota, quare etiam calor perdurat.

§. 20. Diagnosin cancerorum sequitur prognosis miserrima. Hippocrates noster *sc̄t. 3. aphor. 38.* ita dicit: *Quibus occulti cancri sunt, non curare melius, curati enim citius intereunt, non curati vero longius vitam trahunt;* Unde liquet admodum periculosum esse tales cancerum. Periculosissimus autem est cancer exulceratus, quia facile provinciam suam latius extendere potest.

§. 21. Utriusque mali circumstantiis perspectis, curationi ejus me accingo, tentaturus,

— *Quid valeant humeri, quid ferre recusent.*  
Omnis autem lapis est movendus, ut causa illius proxima vel plane eradicetur, sublatâ enim causâ tollitur effectus, vel, hoc denegato, saltem leniatur. Ad quas indicationes consequendas tribus fontibus opus habemus, unde auxilium peti potest, fonte scilicet pharmaceutico, diætetico, & chirurgico.

§. 22. Cum vero periculum in morâ sit, idè simul ac certi sumus de cancro præsente, ex fonte pharmaceutico medicamenta sunt adhibenda, tam interna, quam externa. Omne enim malum nascens, sicut eloquentia Parens ait, facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius.

§. 23. Ex internis omnem ferè paginam absolvunt veteribus melanagoga dicta, quæ si tutò agere velimus, in magnâ dosi non sunt usurpanda. Potest tamen eorum usus eo sapienter iterari, ita frequentia compensabit quantitatem sine ullo periculo. Talia sint: Mass. pilul. de fumar. Extract. hellebor. nigr.

B

Ex-

Extract. cathol. pulv. folior. Senn. c. tremor. l. crystall.  
Tart.

§. 24. Nec cardiaca sunt omittenda, quæ doctissimus Sennertus, lib. v. prax. part. i. cap. xx. admodum utilia esse asserit, ad acrimoniam nempe peccantem sensim absorbendam, intemperieque sanguinis scorbutici corrigendam, qualia sunt corall. margarit. santal. &c. Exulent tamen nimium volatilia & aromatica, quæ acidum cancri occultum fortiter quidem resolvere, non autem subigere atque inverttere valent. Hinc ipsa immutantur, & in acidi naturam transire coguntur; Quo facto acidum sit fortius ac penetrantius, ut tanto facilius erosiones possit moliri.

§. 25. Si hoc malum forsitan à mensium obstructione dependeat, quale exemplum superius fuit allatum, in cura cōsimul respiciendum, ut illa quamprimum per medicamenta convenientia prioribus admixta referetur.

§. 26. Hisce internis adjungenda sunt externa, quæ vi repellendi, discutiendi atque roborandi pollut. Hæc medicamenta tamen ita debent esse comparata, ut nec in excessu, nec in defectu virtutis suæ peccent, uno verbo, sint medicina, inter quæ omne ferunt punctum saturnina, & alia anodyna. e. g.

R. Aq. Solan.

Spermat. ranar. an. 3*ij*.

Spirit. vin. camphorat. 3*ij*.

Magister. Saturn. 3*j*.

M. quo linteum madefaciendum & tumori applicandum.

Vel

R. Theriac. veter. 3*ij*.

Suc. canceror. 3*ij*.

solan.

ol. rosat. an. 3*ij*.

& ran. 3*vj*.

Campbor.

Plumb. ust. & lot.

Ceruſ. lot.

Tut.

Tut. prepar. an. 3j.

M. & diu agita in mortario plumbico & f. unguentum.

Exstat in officinis unguentum diapompholygos vocatum, maxime proficuum: nec unguentum de plumbo paratum est viarium spernendarum. Egregium quoque est ceratum Johannis Prætotii, quod apud Scultetum Armamentar. Chirurg. observ. 55. reperitur.

§. 27. Cum autem, uti jam monitum, exulceratio mammarum omnibus viribus sit impedienda, idcirco cane pejus & angue emollientia vitare nos decet, quæ istam facili negotio inducere solent, quod tristissima exempla apud Fabric. Hildanum Cent. I. Obs. 89. abunde comprobant.

§. 28. Legitimo usu medicamentorum externorum & internorum accommodato non exulceratus cancer interdum sanari potuit; ast quis unquam Medicus iisdem exulceratum funditus tollere valuit? Patentur enim uno ore omnes, eum vel medicamentis exasperari, vel palliative tantum curari. Nec igitur, uti spero, mihi in malam partem vertetur, quod ingenuæ ignorantiam medicamentorum talium confitear, quibus solis hæc cura possit absolvri. Laudibus quidem nonnulli arsenicum cum sublimato ulceri inspersum extollunt; sed ab ejus usu rursus autoritate Clarissimi Fernelii Meib. Medend. lib. vj. cap. 18. deterreor, qui tali veneno potius, quam medicamento mulierem aliquam è vivis sublatam esse refert, perinde ferre, ac si illud suisset per os assumptum. Tres enim circiter ab insperso pulvere horæ effluxerant, cum ingenti horrore mulieris artus quaterentur, quem concomitantur vomitiones, animi deliquia & pulsus languidus. Quibus symptomatibus in dies auctis tandem misera sexto die animam ex corpore vehementer intumescente efflavit.

§. 29. Cura igitur palliativa aggredienda, quæ, teste Arcæo lib. II. cap. 3. de curandis vulneribus, tanti interdum fuit momenti, ut ægrotantes ad multos annos sine singulari molestia conservare potuerit. Sic narrat Tulpius lib. 3. observ. Medic. cap. 51. virginem quandam solo unguento Saturnino ultra 17 annum carcinoma aliquod summe malignum compescuisse.

scuisse. Debet vero ista cura etiam medicamentis tam internis quam externis administrari. Interna sint tum in cancro priori commendata, cum quoque ea, quæ antidotorum nomine veniunt, ut theriaca & mithridatum, quo videlicet, si fortitan portio quedam materiae venenosæ massam sanguineam intraverit, illa suis viribus depauperetur. Externe autem abstergentibus atque anodynis militandum est. e. g.

R. Calc. viv. 3iv.

fol. quer.

popul. alb. an. Mij.

Incis. & contus. indantur colatorio & elixivientur cum sufficienti quantitate aqua calida, quod bis aut ter repetendum.

R. Colat. Ibj.

Sacch. Saturn 3ij.

utriusque lithargy ii prepar. an. Dj.

Camphora 3j.

opii thebaic. Dj.

M.

Vel

R. Aq. spermat. ranar. 3v.

Plantagin. 3vj.

Trachisor. alb. Rhapis.

pompholygos an. 3ij.

Tutia prepar. 3ij.

M. F. epithema s. lavamentum, add. quandoque pulveris myrrb. 3j.

§. 20. Medicamentis expositis audiendum, quidnam consilii diæta ferat. Sane multum virtutis in ea legitime observata esse situm, vel unica ista fæmina apud Amatum Lusitanum Cent. 3. curat. 32. nos ad credendum inducit, quæ optimum vitæ ordinem sequens per triginta & amplius annos sine ulla exacerbatione cancrum in mamilla fovit, cui nunquam medicamenta est admoveri passa. Aëre ergo utendum, quantum possibile, puro; fugiatur aër crassus, frigidus, vaporibusque refertus. Cibus sit boni succi & facilis coctionis, vitentur cibi acidi, acres, falsi, aromatici, fumo indurati & fructus immatu-

immaturi. Abstinendum etiam dulcibus saccharatis, quæ acidum corrosivum in sinu occultant. Ex Pisone enim Chymici sciunt spiritum ex saccharo destillare, qui cum ingenti stypticitate refrigerat, linguam constringit & metallum arrodit. Potus sit cerevisia bene defæcata, non adeo amara, nec acida, vel loco cerevisia decoctum hordei bibatur. Vinum si lubet bibere, sit lene & annosum. Sobrietatis semper est habenda ratio, tantum potionis assumendum ut recreentur vires, non opprimantur. In motu & quiete aut æqualis instituatur proportio, ut & in somno & vigiliis, aut quieti & somno paulo magis indulgendum. Frena affectibus sunt imponenda; tristitia & ira imprimis compescenda. Excreta denique & retenta naturæ legibus sint consentanea.

§. 31. Videndum nunc demum etiam est, quænam auxilia ex fonte Chirurgico promanent. Chirurgia Venæsectione in principio statim mali sanguinem revulsionis gratia ad uncias aliquot emittit, prout ejus quantitas vel major, vel minor in corpore deprehenditur. Potest etiam aliquoties vena secari, viribus patientis tolerantibus.

§. 32. Quoniam autem proh dolor! sœpe in utroque cancro evenire solet, ut neque Venæsectione, neque diæta, neque medicamentis quicquam efficere valeamus, unicum adhuc suppetit subsidium, quod aspectu quidem serum est, at raro eventu non salubre cum prudentia adhibitum, nempe

*Immedicable vulnus*

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

Præstat enim dubiam experiri fortunam, quam sine omni spe reconvenientiae vitam degere.

§. 33. Amputatio cancri variis modis peragitur. Primus modus est, quando duo funiculi medianibus duabus acubus in formam crucis inter mammæ glandulas, musculumque substratum traducuntur, qui in extremitatibus suis postea connectuntur, & alicui committuntur, qui iis mammam elevat, & hinc, ubi Chirurgus secat, divertit. Accuratissimam hujus operationis delineationem vid. in armament. Chirurg. Sculps.

Tab. 38. Impossibile enim est eam verbis adeo luculenter exprimere.

§. 34. Alter modus sit, cum una manu Chirurgus mamil-  
la furcam quandam bidentem validissimam, cuius dentes sunt  
incurvati, infigit, qua mamillam, quam altera manu falcato  
quodam cultro absindit, retrahit & removet. Hunc modum  
præterita æstate in Nosocomio Amstelædamensi. felicissime exer-  
citum memini.

§. 35. Tertius modus aliquantum lenior est, dum neque  
funiculos traducunt, neque furcam infigunt, sed sola manu te-  
nent carcinoma, & funditus cultro auferunt, qualem modum  
laudat Hornius in microtechnie p. 38. & Th. Bartholinus Cent.  
V. Histor. 100. Non autem in quovis cancro promiscue in-  
stitui potest, sed tantum in eo, quem firmiter manus valet  
comprehendere.

§. 36. Quartus modus exercetur, cum mammam cancro-  
sam marsupio includunt, quod arcte in basi mammæ constring-  
unt, & ibi eam resecant.

§. 37. Quintus demum modus est, cum utuntur instru-  
mento quodam peculiaris, quo radicem mamillæ comprimunt,  
& glandulas à subjiciente musculo cultro celerrime separant; qui  
modus reliquis omnibus palmam præripere videtur, cum  
ita possit institui, ut neque de corpore glanduloso aliquid re-  
maneat, nec tamen musculus substratus lœdatur. Referunt qui-  
dem nonnulli moderni Medici aliud præterea modum, posse  
nempe per tenue filum æneum mammam cancrosum à musculo  
demi, de cuius tamen operationis felici eventu valde du-  
bito.

§. 38. Lis adhuc est, utrum forfice, an cultro sit secan-  
dum. Aquapendens in operationibus chirurgicis suadet  
forfice esse utendum; Morem vero Expertissimo Sculteto ge-  
rendum esse puto, qui statuit forficis usum ideo non esse  
commodum, quia timendum, ne exalterutro ejus cultro ali-  
qua materiæ morbificæ portiuncula in parte quadam vicina  
etiam in integrâ relinquatur, & hinc cancro occasio repullandi  
suggeratur, quod Auctor in uno subjecto bis factum esse vi-  
dit. Culter igitur est præferendus, qui sit falcatus & acie sub-  
tilissima instructus.

§. 39.

§. 39. Quocunque autem modo sectio fiat , videndum tamen semper , ut integro quidem manente musculo pectorali tota tamen glandula extirpetur . Mamma enim non aliter ac membrum sphacelatum considerari debet , quod nisi totum sit abscissum , in vicinis partibus eadem tragædia luditur .

§. 40. Ablatione cancri rite perpetrata , monet Galenus lib . XIV . meth . medend . sanguinem ex vasis effluentem non statim sistendum , sed etiam exprimentem esse , ne fortassis in iis aliquid vitiosi sit superstes . Hanc cautelam tamen nos observare oportet , ne patiens à nimio fluxu deficiat .

§. 41. Sanguine igitur sufficiente evacuato profluviū ejus sistendum est , quod Veteres per cauterium actuale sunt aggressi ; Sed quo minus eorum vestigiis inhæream , faciunt sequentes rationes . Primo quia eschara inusta à ferro ignito decidente de novo non raro sanguis profluit . 2. Quia juxta illud vetus afflito non est addenda afflictio ; hoc est dolores a sectione inducti novis doloribus per ustionem non sunt cumulandi . 3. Quia medicamenta & ligaturæ optime fluxum sanguinis inhibere valent .

℞. Farin . volatil .

Boli armen .

Terr . sigillat . aa . 3ij .

Vulviol . combust .

Lapid . hamari .

Croc . Mart . adstring . aa . 3l .

Pilor . leporin . minutiss . concis . 3j .

Thunris .

Sarcocoll .

Sanguin . dracon . an . 3ij .

M. F. pulvis subtiliss . qui cum stuppis albumine ovorum madefactis imponendus , pulvillo tegendus , & vitta chirurgica firmandus est .

§. 42. Suppresso ita sanguine cura vulneris hujus eodem modo tractanda , ut aliorum vulnerum , de qua curandi methodo pleni sunt omnes fere Medicorum & Chirurgorum libri , in specie tamen consuli meretur Paulus Barbette in lib . de vulneri-

neribus , quo nemo fere fidelior in secretorum suorum communicatione ad salutem agrotantium ullo tempore extitit.

§. 43. Postquam itaque pro modulo ingenii mei naturam & curam cancri mammarum exposui , colophonem addo , obnoxie candidum lectorum petens , ut si quædam in hac dissertatione ipsi minus arrideant , ea mihi humaniter condonet , & meliora communicet verum nondum scienti , contumaciter tamen quærenti . Cæterum de se quoque dictum esse paret , quod laudatissimus Cicero de oratore ait : Nihil certum sciri , nihil plane cognosci & percipi potest .

